...s
...aulus

Rucinski Joan. Chrysost: Vas electionis in honorem Dei consecratum Divus Paulus Apostolus —



VAS ELECTIONIS,

In Honorem DEI Consecratum,

DIVVS PAVLVS Apostolus:

Recurrente annuâ festiuitate,
In Conuersione sua,
Panegyrico applausu,
CELEBRATVS.

ET

Perillustri & Admodùm Reuerendo Domino,

D. PAVLO ZŁOMANSKI,

Protonotario Apostolico, Canonico Sandomiriensi, Curato & Decano Michocinensi, &c.
Benefactori suo amplissimo,
In vim debitæ gratitudinis & reuerentiæ:

A

IOANNE CHRYSOSTHOMO RVCIENSKI Połanecensi,
In Alma Vniuersitate Cracouiensi,
Secundæ Laureæ Candidato:

DEDICATVS.

Anno Domini, 1686. Die 25. Ianuarij.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustr: ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac: Ducis Seneriæ, Necnon Scholarum Nouoduorsc: Typogr.

VAS ELECTIONIS,
DIVVS PAVLVS
APOSTOLVS.

Non poteſt res ſuas Natura magis commendabiles reddere,
Ambitioſo hominum palato;
Quàm dum eas alijs rebus aſsimilat;
& alienis difformibus exornat attributis:
Quamuis enim vnamquamq; proprio inſigniuit decore;
Si tamen alterius Majeſtas ad eam non acceſſerit,
Inter ſui ipſius viſcera euaneſcit.
Ita nimirum,
Si imago non comparatur homini, nullius momenti eſt:
Et nonmodò non arridet conſpectui;
Imò ſine ſimilitudine ſpectatoribus nauſeam parit.
Iuuentus absq; flore, ſui eſt ignara nominis.
Et Coloſſus ſine altitudine, naturam deformat ſuam:
Quinimo aut pumilio eſt, aut coloſſus non eſt.
Verùm, vt etiam
DIVVM PAVLVM APOSTOLVM,
Nobiliorem ac digniorem Chriſtus efficeret;
Vas Electionis Diuinum,
Cæleſtibus repletum Gratijs,
Ab omnibus vitiorum mendis & deformitatibus expurgatum,
appellare eum voluit.
Vt, vel ex eo ipſo, infuſione Spiritus Sancti gratiæ impleatur,
Vel vtilitatem mortalibus præſeferat.
Voluit quidem Artifex Mundus,
(Habens poteſtatem ex eadem maſſa, quidquid ſibi placuerit producere)
Hoc Vas, non in honorem DEI,
Sed in ejus contumeliam grandem conuertere:
Quando à vero Meſsia alienatum,
Contra Chriſtianitatem in ſe Inferni portabat Venena;
Illa crebrò in CHRISTI fideles effundens;
Quos toxico Iudaiſmi infectos inexhauſto inebriaret Orco.
Sed cæleſtis Operarius,

Nè hoc

Nè hoc Vas, nobilissimum ejus manuum opus,
esset maledictionis æternæ Portatorium;
In Honorem sibi consecrauit.
Dum ejus deformem, in sublimiorem conuertit formam:
Et quasi Vas vitiatum, putridumq; in mundissimum,
ab omnibus fæditatibus vacuum, transformauit.
Tygride enutritum animal,
Mansuetum, pacificum, quietum, humile,
Ac voluntarium famulum ex SAVLO effecit.
Qui mandata SALVATORIS exequens promptissimè
Ad Diuinam Electionem vocatus;
Vt Magnus supremi Numinis ad Gentes fieret Nuntius.
Ex quo
Bona annuntiatio, tanquam ex cælesti Vase est effusa,
Et bonorum æternorum, incorruptibilium manifestata
felicitas;
Necnon illa omnia, quæ ad gratiam pertinebant,
Gentibus ab illo sunt intimata:
Imò omnibus omnia factus.
Qui vel ideò nominatur Vas;
Vt, aut magnum in Vase cognoscamus Autorem,
Aut Materiam in Nomine Christi,
Quæ est plenitudo Vasis,
percipiamus.
Pergunt enim Cursores ex Diuino Regis Imperio,
Vt per illos, tanquam per bonos Nuntios
Spiritualis populo doctrina portetur.
Fecit DEVS hoc Vas mirabiliter!
Quasi Vas aurisolidum, Ornatum omni lapide pretioso.
Quod propter fulgorem Sapientiæ,
(Quæ Vniuersa Opum excedit pretia,)
A DEO, prout ei placuerat, constitutum:
Supra quod SALVATOR, Augustum Nomen suum scripsit:
Cujus memor semper,
Cum Cælesti Sapientia illud in homines infunderet.
Quatenus effusum Nomen CHRISTI, inter omnes mortales,
ceu fons totius plenitudinis exundaret.
Non quòd extra ripas, & margines vndarum diuagetur;

Quod solius temeritatis ac insipidi animi est:
Sed quòd humana corda effuso Nomine, luculenter adimpleat:
Ex quibus Diuinæ Sapientiæ fontes emanando,
Siccioris Natúræ animas,
Sine Verbo DEI arentes liquefacerent:
Vel in aridam petram, Verba Diuina ex Ore Altissimi cadentia,
Nullum ex se latura fructum, liquore DEI ablueren t.
Plurima sunt in manu hominum Vasa,
Ad Varios Vsus, & Vtilitates eorum fabricata;
Quæ repleta vario liquorum genere, magnum emolumentum adferunt.
Ita DIVVS PAVLVS,
Expolitum quasi omnigenæ virtutis Vas,
Diuersis Gratijs, tanquam diuersis liquoribus, diuinitùs fuit repletus.
Ex cujus ore scientiarum ac Gratiarum riuuli,
In Vniuersum emanarunt Orbem:
Quos arida Infidelium lingua, cum auiditate hauriens,
Erga charitatem DEI veri liquefiebat.
Viderant namq; Æthnici ac Iudæi.
Quos sæpissimè Verbo DEI confundebat PAVLVS;
Quàm post Conuersionem SAVLI, ingentia flumina scientiarum,
Ex Crystallino Olympi pelago, in hoc Vas adamantinum cum abundanti Copia influxerunt.
Inuidebant Iudæi summo Christianitatis Pastori,
Quia Ouem, (quam è medio gregis amiserat,) humeris impositam,
Ad Ouile suum sedulus asportauit,
Aureo gratiarum vellere ornatam, toti præsentando Iudææ.
Quæ, quia nimiùm sitibunda, ad gremium fidei accessit;
Aurifluum sanctitatis Vas, Ori ejus apposuit;
Ex quo suam refocillaret ac refrigeraret animam.
Sicut insatiabilis vnquam Ceruus ad fontes aquarum;
Ita SAVLVS ad fontem viuum DEI desiderauit.
Ne verò aliquando orexim pateretur;

Quâ

Quâ toties imbelles animæ præ nimio vitiorum æstu laborant,
Vas, illum,
Diuinis in perpetuum exundans fontibus, fecit.
Quia citiùs & meliùs in proximo nutriuntur corpora;
Quàm ad remotè distantes pabulorum escas.
Ast quia,
Diuina etiam toties humanis comparantur rebus,
Toties sacra miscentur profanis:
Sæpiùsq; Gigas animus pusioni assimilatur modico.
Quare & Ego Te,
Perillustris & Admodùm Reuerende Domine,
PAVLE ZŁOMANSKI,
Nullo quopiam temerario Phaëtontis ausu,
Sed solâ Sympathiâ animi,
Et ductrice candidi pectoris prothymiâ stimulatus;
Vas Electionis Diuinæ
nominabo,
Nec sine fundamento altitudinem peto:
Habet quippe Tullianus calamus tantam vim & oculum,
Quo inter Patroni, & Tuum Vas,
Relatam mysticè aduertit similitudinem;
Proximamq́ Patris cum Filio adnotauit comparationem.
Es enim plenum Vas Gratiâ Spiritûs Sancti,
Plenum Sapientiâ, plenum Virtutibus.
Nihil Tibi deest ad plenitudinem:
Imò tantùm abundas, quantum desideras.
In primo adhuc innocentiæ candore, infudit in Te,
Probitatem & Prudentiam Cælestis Spiritus:
Vt esses in perpetuum plenus Gratiæ & Veritatis.
Nec tantis quondam Copijs, Cornu Amalthæ repleuit Iupiter;
Quod supra opulentas mortalium gazas, refertum diuitijs esse voluit:
Quàm Te Vas mundissimum,
Cælestibus thesauris supremum Numen redundare fecit.
Quando ignorantiæ tenebris expurgatis,
Ad vsum sapientiæ Nobilem deputauit.

Et primò quidem Iagellonica Pallas noſtra;
In cuius adoreas toties aſſurgebas cum applauſu,
Quam & nunc recenti ſemper amore proſequeris,
Te expoliuit.
Rude Tyrocinium expellendo,
Grandæuam prudentiæ maturitatem intromittebat.
Rudimenta ſtabiliendo, rudem teneritatis mentem perpoliebat.
Exuto quaſi Cortice ignauæ mentis,
Eruditâ doctrinæ teſtâ Vas Tuum cooperuit.
Ac vbi puriſsimis celebrium ſcientiarum fontibus
Inter doctos Academiæ Viros exundares,
Et ex Tuo mundiſsimo vaſe, alijs hauriendum eruditionis fontem, egregius Mineruæ Athleta propinares,
Primâ Virenti Laureâ,
Ceu limpidiſsimum floribus puteum coronauit.
Tempora Tua gratioſa immortalis gloriæ Lauru exornando.
Quia ſibi Vas, in Te elegit vtiliſsimum,
In quod omnigenam Athænei noſtri eruditionem cum ſpe futuri fructûs infudit.
Vt ſi alibi Hypocrenæ & Blanduſiæ fontes deficerent,
Ex Tuo Vaſe pleniſsimo ſcientia hauriretur:
Vt potè ex Stagyræ Filio;
Cuius in eminenti Exedra, ſpecimen ſapientiæ oſtendens,
Diuinioris ore Platonis diſcipulum,
Si non ſuperâſti ingenio, adæquâſti diſciplinâ.
Quanquam & Diua Themis, armataq; Iuſtitia,
Inuidens gratam priuatæ Palladi progeniem,
Ad publica Magiſtratuum, ſacriq; Senatûs inuitauit conſortia.
Vt æquam Iudicij Lancem ponderans,
Faſtigia ſumma honorum aſcenderes,
Votorumq; tractans ſtateram, in ſublimi dignitatum Auge ſtares.
Et certè
Si Galenus ſuos Æſculapios dotat opibus;
Fons omnis ſcientiæ Ariſtoteles, ſuos ſequaces prudentiâ;
Maximè Iuſtinianus
Suis aſſeclis & Clientibus honores diſtribuit:

Inter

Inter quos
Non postremum Te ad dignitates computauit.
Nam adæquans Iuris legumq; cacumina,
Notarius Publicus es factus:
Fauentibus Tibi posthac cælestibus superis,
Protonotarius Apostolicus esse meruisti.
Tandem ex singulari Patrocinio & benigno fauore,
Illustrissimi piæ memoriæ Præsulis Cracouiensis,
ANDREÆ TRZEBICKI,
Ad Perillustre & Venerabile Sandomiriense Capitulum,
Ex æqua Iudicij Lance ascendisti,
Vbi in perpendiculo stantem, Canonicatûs Libram obtinuisti.
Ad quam Illustrissimi Candidatus honorũ Olor,
Cum candidis Virtutibus optimus Augur præiuit.
Vt Cygneus futurorum Vates, inter alios proficua Vota, caneres,
Aliisq alta Iustitiæ voce occinendo,
Inter dubia errantes Vota, ad portum veritatis deduceres.
Equidem pulchra Illustrissimi pietas,
Cana fides, cana prudentia, & illime in Cygno decus,
Cuius sine nube in Vauello Dominium lucebat.
Non ex vano, aureo Tuo Vasi, vbertatem gratiarum affuderat;
Quia candida Tua maturitas, ab illimi ejus Olore,
Sacro Perillustrium Areopago Sandomiriensi
Genuinum prudentiæ candorem, in Themide erat allatura.
Verùm & nunc,
Non extra manus Principum Tuum Vas Electionis versatur,
Gerit illud in dextra manu, dexterrimus Princeps,
Zelosus fidei Orthodoxæ defensor,
Præuaricatorum Ecclesiæ DEI, Sectatorumq, terror,
Ac Pastor circa suum gregem Vigilantissimus,
IOANNES de Małachowice MAŁACHOWSKI
Episcopus Cracouiensis,

Cujus Fasciatum decus, toti Diœcesi Cracouiensi,
Sine inuolutis rerum angustijs splendet.
Et quasi candida Nube in aëre appensâ laxatâq́,
Ab omnibus suis Ecclesiis, Nubes caliginosas,
cum fulmine Stygio arcet, & repellit.
Imò Te Omnis munditiei Vas,
Auitâ Stemmatis sui FASCIA cinxit;
Te in Oculo quasi suæ FASCIÆ memorabili semper habens
Vt tantorum Encomiorum plenus euadas,
Quanta eius Fasciatus Orbis intra se ambire videtur.
Affundebatur nuper
In Tuum Vas pretiosum Electionis
Per Illustrissimi Præsulis manus,
Archidiaconatûs dignitas in Peraugusto Tuo Capitulo:
Quatenùs, si aliquid ad plenitudinem Tui Vasis desiderabatur;
Hoc vno, satis majestuoso honore impleretur.
At Tu multorum non egens,
Generoso animo, ex politico Virtuosæ humanitatis poculo;
Cui plenum Virtutis & honoris Vas, pretiosum affudit potum;
Eandem dignitatem alijs propria sponte propinasti.
Vt cæteros etiam,
Ad aurea honorum Vasa per alacritatem inuitares;
Et in Tua humilitate animi altiores dignitates ostenderes.
Dum qui in Terris humiliatur, in Olympo altiùs ascendit.
O felicem ter quaterque animam!
Citò transeuntia fortunæ & gloriæ pignora non cupientem!
Solâ auiditate honoris diuini elatam!
Quam dum Honor sequebatur, illum refugit.
Manifestè enim & ipsá ueritate clariùs sciuit;
Quàm & ipsi vastarum virium Gigantes sub ponderibus terrenis gemunt,
Quid enim prodest Athlanti?
Cuius patulis humeris vniuersi machina incumbit,
Cùm tantæ molis amplitudine exanthlatus
Sub honore ingemiscit.
Quippe & orbis domitor Alexander Macedo,
Cujus sine numero titulos, vniuersa mundi Tabula ambigebat;

Inter

Inter fatigationum Angustias, omnibus se exui poscebat,
Si Diogenem in dolio imitaretur.
Suâ sorte contentum esse, nihil est felicius:
Et magnos honores respuere, est illis dominari.
Cùm & Mercurii inanimato stipiti, honores appetere
est Commune:
Et picarum plumbea capita Coronari non mirum.
Hactenus humana Numina
In Te Vas, ex Adamante structum
cum effectu influebant:
Quæ Tu Catholici pectoris magnanimitate non acceptas.
Diuina etiam quomodo influunt?
Quantos liquores in Tuam spongiam Vasis infundunt?
Adeò Cælestes superi ad plenitudinem ejus concurrunt;
Vt etiam DEI Mater
Sub Tua Cura & Patrocinio miraculosè habitare non recuset;
Et gratiarum suarum abundantiam,
Vasi Tuo infundere non dedignetur.
Cùm Virtutibus stimulata Tuis,
Excelso procedens de Thalamo Sponsi,
Sub Tua tutela Dźikouiæ, Augustum sibi fixit domicilium;
Vt in propinquo serui sui aspectu delectetur.
Vbi verò fundamenta Domûs,
In Montibus Sanctis FIRLEIOWIANIS;
Tanquam super Tabernacula IACOB jaciebat;
Te sui Ædificij Geometram & Architectum voluit:
Dum Te primò in profunda nocte visorem suæ domûs habuit.
Nam Tu,
Fidem tantis miraculis tum demum solidè dedisti;
Cùm ex Aula Reginæ Cælorum, per arua errabundus,
Prodigioso lumine illustratus,
Ad Electum MARIÆ locum peruenisti.
Te Cælorum Domina & DEI Mater
Ad desideratum Dźikowiæ portum deduxit,
Ostendendo Tibi sua perauguста Triclinia;
Quæ super Colles mundi fructiferos præparabat.
Vtrùm affabrè Artifex Cælestis,
In hoc Habitaculo Thronum MARIÆ exstrueret?

Quod de lapide pretioso educebat,
Intùs gemmis, Saphyris, Carbunculis lucentibus ornabat,
Insuper Postes Ebore distinguebat.
Cujus Tu Majestatem,
In ardenti solio, venerabundo poplite adorans,
Flagitantibus aliorum votis,
In manus pias Ordinis Prædicatorum tradidisti.
Vt eò digniùs Reginam Angelorum venerarentur,
Quantò humaniùs illis eandem è Tuis manibus concessisti.
Et procertò Virgo hæc Deipara,
Adeò te Materno suo amore adamauit,
Vt se totam in Tuæ Parochiæ gremio deponeret,
Vbertatemq; gratiarum suarum largiretur.
Dum, quæ alibi hospitio tantùm excipitur,
Apud Te perpetuò inhabitet & permaneat.
Ne verò
Cælesti Matre sub Tua cura orbatus viduatusq; esses,
Aut Tuum Vas Electionis eburneum, pateretur vacuitatem,
Plenitudinisq; aliquem defectum cerneret,
Vnigenitum Filium suum,
In Michocinensi Ecclesia Tibi reposuit,
Cujus miraculosa in Cruce effigies,
E latere pretiosum liquorem Tuo Vasi affundit,
Vt ex eius etiam Calice passionis potum bibas.
Et sub Cruce adstans cum MARIA, illius gratiâ inebrieris.
Non potuit Te magis Virgo Deipara adamare,
Quàm dum Primogenitum Filium, Fructum Ventris sui,
in manibus Tuis collocauit:
Et delicias Paradisi, in horto Tuarum Virtutum reposuit.
Quas Tu, liquore de pretioso Vase, effuso, continuò irrigas.
Enimuero!
Quàm felix faustumq; est Vas Tuum Electionis!
In quo duæ gemmæ Cælestes,
Non Cleopatræ olim & ANTONII, sed DEI & MARIÆ,
Quibus totum Cæleste Regnum constat,
inueniuntur.
Quàm fausto Omine ex hoc immenso Vase, tanquam de pelago,
Duo Luminaria
Nimirum Mater DEI & ejus Filius emergunt!
Quorum Tu Luce splendidâ illustratus,

Magnum

Magnum splendorem affundis Ecclesiæ.
Et sicut hæc duo siderea Lumina in Te resplendent,
Sic Tua Virtus lucet coram hominibus.
Ex qua coruscum Tuæ gloriæ jubar prodiens,
Tantam posteritatis memoriam ambit;
Quantam, Tuæ famæ sublime Nomen reposcit.
Mercandum Tibi erit paucis cælum;
Cùm ejus pretium, Tuum Vas pretiosum in se complectitur.
Pretium Cæli in Tuis manibus habes:
Quidni illud hereditariè sine dubio possidebis?
Cælestes sub Tuam Curam & manum Hospites suscepisti:
Quidni ab illis in eorum Regno humaniter tractaberis?
Cujus Vates & augurium
Sunt Tua dignissima obsequia in Sandomiriensi Capitulo;
Vbi Continua Procuratione,
Circa Peraugusti Capituli publica Bona & Negotia emeritus
Plùs justo præmia meruisti.

Quare,

Pro sudoribus frontis & agitationibus mentis,
Copiosa merces Te exspectat apud Tonantem.
Ad quam genuina Tua Virtus;
Quæ est suimet semper pulcherrima merces;
prouocat & inuitat.
Et si taciturno silentio præterire vellem
Pia Legata,
Ad Połanecensem Ecclesiam à Te collata
Ipsa se mihi in itinere pro obstaculo & Obice ponunt:

Quæ ipse Diuus MARTINVS,
Patronus & Protector Połaneciæ,

Pro Manubijs argenteis & spolijs aureis Tuæ sortis accepta,
In Trophæis Immortalis Gloriæ,
Tanquam Militaria signa, in sua Æde repræsentat.
Qui Tuis largitionibus manifestè coram DEO *& populo gloriatur.*
Ex quo Beatus es Vir in Terra.
Quia in diebus Tuis DEO placuisti, non post fata:
Vbi dies jam non Tuæ, sed alterius erunt potestatis.
Quamdiu enim viuis, tam diu Tuo tempori dominaris:
Post mortem distribuendi bona, non erit Tui iuris, sed alieni.

Sint ergo alijs pretiosa Vasa,
Quorum vitrea fragilisq; corruptio, in momenta succedit.
Tibi verò sit Doctor Gentium;
DIVVS PAVLVS APOSTOLVS:
Imò Tu ipse sis Tibi Vas Electionis admirandum:
Non euacuatum, non inane;
Sed inexhausto Virtutum liquore abundans,
Vt pote Magni Gentium Doctoris Dilectus Cliens.
Cujus profundæ eruditionis Scientia,
Inter Vniuersi Orbis immortalium animorum ripas profluxit.
Qui prout vixit ita Gentiles docuit:
Et prout docuit, ita vixit.
Si ille in se Doctrinam Christi portabat;
Tu Verbi Diuini es Vas Portatorium:
Nam Tibi per Spiritum Sanctum datus est sermo Sapientiæ,
Docendi, glossandi, & interpretandi Scripturam.
Conuersio PAVLI non ad alium, nisi ad Te.
Scripsit enim Nomen suum supra Te:
Cùm ad portandum Nomen Domini Te elegit,
Statim fecit Te totum hoc Nomine plenum.
Et quia
Ex Diui PAVLI Sacra Ceruice, ad mortem deputati,
Lac effluxit;
Quasi Tibi viam lacteam, & melleam ad Cælum sternendo:
Ex Te Vas Electum Christi,
Oleum effusum Nomen Tuum,
In Ora posteritatis cum æterna Tui memoria defluat, opto:
Esto Vas in honorem DEI Sanctificatum, vtile Domino,
Et non tantùm ad Tertium Cælum cum PAVLO Tuo,
Sed ad Supremum Empireum,
Vbi est Sanctissimæ Triadis & Beatorum Sedes,
rapiare.



